



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

213. De Presbyteris qui à fidelibus ad prandium invitantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De Presbyteris qui culpas peccantium reticent vel minùs dignè pœnitentes ad reconciliationem adducunt. *Vnde suprâ.*

CCXII. Ut nemo Presbyterorum xenium vel quodcunque emolumentum temporale, immo detrimentum spiritale, à quocunque publicè peccante vel incestuoso accipiat ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius reticeat, nec pro respectu cujusque personæ aut consanguinitatis vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet, nec à quoquam pœnitente aut gratia aut favore aut munus suscipere præsumat, aut minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocunque livore alium quemlibet digniùs pœnitentem à reconciliatione removeat, quia hoc simoniacum & Deo & hominibus contrarium est. [*Vide Capitulare Riculsi Sueffion. cap. 9.*]

Hincmar.  
ibid. c. 13.  
Burchard. lib.  
19. c. 100.  
Liber Pœnitentialis apud Sievartium  
pag. 711.

*Ex Pœnitentiali.*

Qui reticuerit peccatum fratris quod est ad mortem, nec eum corripuerit, aut Ecclesiæ Dei ut emendetur dixerit, quandiu consensit, tandiu pœniteat.

Burchard lib.  
19. c. 123.

De Presbyteris qui à fidelibus ad prandium invitantur. *Vnde suprâ cap. XIV.*

CCXIII. Ut nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum, aut septimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam Pres-

Hinc n. ibid.  
c. 14.  
Burchard. lib.  
2. c. 161.

byteri convenerint, se inebriare nullatenus præsumat, nec precari in amore sanctorum vel ipsius animæ bibere aut alios ad bibendum cogere, nec se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos & inanes fabulas referre aut cantare præsumat vel turpia joca vel cum urso vel tornatricibus ante se facere permittat, nec larvas dæmonum, quas vulgò talamascas dicunt, ante se ferri consentiat, quia hoc diabolicum est & à sacris canonibus prohibitum.

## De rixis &amp; pugna sacerdotum.

Hincmar.  
ibid.  
Burchard. lib.  
2. c. 163.

CCXIV. Summopere etiam quisque Presbyter caveat, sicut de statu suo vult gaudere, ut non quacunquē occasione parem suum aut alium quemlibet ad iram & rixam, multò minùs ad pugnam vel ad cædem, aliquo verbo irretet seu provocet, nec provocatus ad hoc quisquam profiliat, quia in talibus commensationibus & potationibus semper se immisceat diabolus.

## De convivio Presbyterorum.

Hincmar.  
ibid.  
Burchard. lib.  
2. c. 162.

CCXV. Quando autem convenerint Presbyteri ad convivium, Decanus aut aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundum suum ordinem sedeant, alter alteri honorem portantes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum Clericis aliquid de sancta scriptura legat, & post refectiōem similiter \* sanctum hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur; & sic se

\* Cod. Paris.  
secundum